

MŪSAE ET CICĀDAE

*'Tis Apollo comes leading
His choir, the Nine.
—The leader is fairest,
But all are divine.*

MATTHEW ARNOLD.

XXXVI

INrER montes Graecos vallis iacēbat variis flōribus laeta et omnium rērum fēcundissima. Dē montibus aquae frīgidae dēsiliēbant, et per campos virides fluēbant. Multi greges, multa equōrum boumque armenta in agris clīvisque errābant. Vallis montibus viridibus undique cingēbātur; nulli viātōres eō intrābant, nec hieme, ubi montes nive candidā teguntur, nec vēre, ubi hirundo argūta nīdum sub trabibus aedificat. Itaque incolae dē rēbus externis nihil sciēbant, sed bene beātēque vivēbant, nec cūris sollicitis vexābantur.

Ad incolas in vallem ōlim dē caelo descendērunt Mūsae. Novem sunt Mūsae, poētārum carminumque deae. Ā Mūsis omnes hominum gentes, sed in prīmis poētae, conservantur et docentur.

XXXVII

Mūsae, simul ac in vallem descendērunt, carmina mīra et dīvīna cecinērunt. Argūtae sunt Mūsārum vōces, nec per tōtum orbem terrārum dulcior est sonitus quam cantus Deārum ; nōn tam suāviter aves in summis arboribus canunt, ubi vēre āera cantibus mulcent.

Mīro sonitu dēlectāti sunt incolae. Diū Mūsae canēbant ; diū incolae, cēterārum rērum immemores, stupēbant ; nec ad cibum nec ad quiētem tempus capiēbant. Multos diēs, multas noctes Deae canēbant, et māne, ubi Aurōra croceum Tīthōni lectum relinquit, et sērō, ubi vesper stellas in caelum redūcit. Ita incolae cēnae prandiique immemores, mīrum sonitum audiēbant. Itaque propter carminum dīvīnōrum amōrem indiēs languescēbant.

Tandem Mūsae incolas iam tenuissimos animadvertērunt, et misericordiae plēnae in cicādas virides convertērunt. Cicādae igitur, etiam nunc carminum dīvīnōrum memores, tōtum diem cantant.